

26
gr

8



~~II~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
V-5
SIGNAT. MDCCCXIII.



Ad

Jacobum Icabodum , quondam in H.
V. D. M. mox Exulem , denique vocatum Pr. E.
O. G. Th. in B. &c. postquam is de re metalleuti-
ca vet: Gr: Commentarium edidisset, & de exiliis
& receptaculis Musarum pro auspiciis
disserturus esset.

E L E G I A.



Alma Parens certe rerum Natura , beatis,
Si sapuisse velint , omnibus esse dedit.
Cur igitur tantis elementa laceessimus ausis?
Cur aër adeò, flamma, fretumque gemunt?
Per centum casus, per mille pericula, Ditis
Itur in abstrusas corde tremante domos,
Atque ibi , proh facinus ! fodiuntur viscera magnæ
Matris , inhumani dura ligonis ope,
Ingratos donec , concussa tot ictibus , alvi
Sordibus aspergat , ceu voluere , sui.
Namque quid est aurum , fulvâ nisi limus arenâ,
Cui , quod habet pretium , nostra libido facit.
Tam - tamen - abjectos sic gens sitit improba census,
Ceu foret hinc miseris una petenda Salus.
Scilicet ex animo curas , de fronte senectam
Et morbos auri fulgida massa fugat.
Absit , ut ex voto Flacci pereatis , avari,
Quêis data sunt nummùm millia multa , Senes.
Vivite ! nil tussis madidique Infantia nasi,
Orbaque nil vobis dentibus ora nocent :
Frangatur vester gingivâ panis inermi :
Circumeant vestros lintea vincla pedes :
Vestra die medio caligent lumina noctem :
Canities vestro vertice rara fluat :
Macra manus trepidet , malefidaque tibia fallat
Gressus , & vultum ruga senilis aret.
Credite , cunctorum nummi medicina malorum
Optima , vos salvos incolumesque dabunt.
Namque seni vegetam reddunt ex assè Juventam,
Ceu Socero Æætæ filia docta suo,

A

Ut



Ut velut emeritos serpens novus exuit annos,
 Deposita fiat pelle rigente puer.
 Macti animis! oculi quamvis in morte natabunt,
 Avertent vestrae spicula mortis opes,
 Aut si praevaleat fors inviolabile fatum,
 Ad Superos vobis praegredientur iter.
 Macte animo! Mida, solidum se vertit in aurum,
 Quod tua vel leviter tangere dextra volet:
 I, bibe, ede, & gaude! nihil est praestantius auro,
 At tua sunt aurum stragula, vina, dapes.
 Crasse, Triumphator celeris ditissime Parthi,
 Quae fitis, haec moriens aurea vina bibe.
 Carceribus, Perseu, gazas absconde Philippi,
 Ne pereant, claves aequoris abde sinu.
 Non habet Aemilius ferrum, caret ille dolabris,
 Quaeis valeat fartae rumpere claustra domus.

O Plebs Democriti merito ridenda cachinnis,
 Aut potius vetulo flenda perenne Sopho,
 O curvae in terras animae, & caelestium inanes,
 Tramite quis vestro, quis nisi stultus, eat?
 Quis, nisi mentis inops, humeros sub inutile pondus
 Commodet, insolitum cum sit iturus iter?
 Qui sapit, immunes per inhospita tesqua lacertos
 Servat, & urgenti libera Colla jugo.
 Quis duplici aut triplici circumdat pectora panno,
 Cum sua vult placido membra sopore frui?
 Quis, nisi mortales? Omnes expectat avarus
 Portitor, & longae nocte timenda quies,
 Et tamen hanc avidae per tot retinacula turbant,
 Et dubiam faciunt difficilemque sibi:
 Quantum iter est Caelo! quantis huc passibus itur!
 Saxa obstant, sentes, ardor, arena, fitis,
 Et tamen innumeris onerant sua tergora conchis,
 Et sibi non segnes impedimenta legunt.
 Heu! stolidi, mediam Medicis date tundere venam,
 Effluat ut vitium sanguinis omne foras,
 Aut super Anticyram plenis contendite velis,
 Helleboroque gravis damna levate Mali.

O quanto magis est felix, sapiensque bonusque,
 Qui cupiendo nihil sufficit ipse sibi:
 Cujus opes omnes caelesti in mente quiescunt:
 Cui Satis est summi gratia sola DEI:
 Quem non divitias fervens amor urit habendi:
 A quo secure merx aliena manet:

Quem

Quem nec opes capiunt irritamenta malorum,
 Nec terræ affligit mentis alumna bonæ.
 Hic, licet externo patriæ procul exul ab oris,
 Pauper, inops soles exigat orbe suos:
 Dives agit, felix, & ab omni parte beatus,
 Inque suo Cœlum fert Patriamque sinu.
 Certe ego, si dubiis detur mihi cernere votis,
 In Cynici dolio tempora lætus agam,
 Atria nec cupiam Cyri incoluisse, nec arces
 Seu, Ptolemæe, tuas, seu, Nero sæve, tuas.
 Has furor & rabies, has ipsa gubernat Erinnyes;
 Illo Libertas Paxque Fidesque sedent.
 Fac, Epicure, tuâ contentum vivere quadrâ,
 Et nîl, quod Sybari me retinebit, erit,
 Et Rhodon & Samios, Capuamque & molle Tarentum
 Hannibalis fociis semivirivæ dabo.
 His regnat petulans & segnis inertia mensis;
 At tua postridie cœna recepta sapit.
 Magnanimo junctum me non cunctanter Ulyssi
 Ponat in extremâ naufraga puppis humo,
 Nec, Cleopatra, tua cupiam tunc ire triremi,
 Insolito quamvis illa nitore micet:
 Virtus fortuitis non pervia casibus illic
 Excubat; hanc levitas luxuriesque trahit.
 Culmina summa timet, nimiis mediocria præfert,
 Stultitiæ quem non flebilis aura rotat.
 Fulmina, quæ tumidos feriunt rutilantia montes,
 In timidam vallem nîl prope juris habent.
 Quique rapit celsas Aquilo cum turbine turres,
 Non solet exiguis noxius esse casis.
 Nempe Diis humiles semper placuere; superbos
 In præceps subito vis inopina trahit.
 Et licet infelix nigroque notanda lapillo
 Non unquam nitidos polluat hora dies;
 Attamen, heu miseros! fortis properata secundæ
 Fila manu celeri Parca severa secat.
 O quot in extremo positi discrimine, quorum
 Jussa prius populis pro vice legis erant,
 Optarunt potuisse nihil; sed nemo Colonus
 Optavit moriens Principis esse loco.

JO! cantemus festos, *Icabode*, Triumphos,
 Nam fruimur votis lætus uterque suis.
 Et tua nunc albis vehitur fortuna quadrigis,
 Et mea jam roseo fata feruntur equo.
 Quæ Bona Rex moriens cupit, & quæ Cultor agelli
 Possidet, & pauper quæ bona Pastor habet:

Ob-

Quæ Simili septem parcè vivenda per annos
 Obtigit, hæc nobis vita perenne datur,
 Vita DEO, Menti, sanctisque sacrata Camœnis
 Victima, Virtutem quæ colit, audit, amat,
 Quam non ambitio, nec inani gloria fucô,
 Magnarumve fames sollicitavit opum.
 Nil precor à Superis ultra: nil fata laceſſo
 Amplius, oppoſitæ diffiluère Veræ.
 Ad magni miſſæ de carcere Regna Tonantis
 Fœnore centuplici ſe retulere preces.
 Eſt equidem mihi res brevis, & ſuccincta ſupellex,
 Et tenues loculi ſæpius ære carent:
 Forma meæ veſtis ſic eſt, ceu Palla Boëthi,
 Quam Dominæ vinctus ſarciit ipſe ſuæ.
 Eſt mihi menſa tripes, nec habet meus altor Apollo,
 Quæ ſtimulante ſiti maſſica vina bibat.
 Parcus alit noſtras cibus & cereviſia Muſas,
 Hinc etiam raucum carmina noſtra ſonant;
Interea Rex ſum! Regnum eſt mihi nulla Cupido:
 Imperium nuſquam majus hic orbis habet:
 Qui parent, vario tandem certamine victi
 Sunt animi motus, gens violenta, mei.
 Inſidias nullas metuo, non invidet ullus
 Ardua ſceptra, quibus meque meosque rego.
 Aula bipenniferis non eſt mea cinctâ maniplis,
 Nam bona Mens tutum præſtat ab hoſte latus.
 Nec mihi, quo ſoler fluitantis tædia vitæ,
 Regibus inſuetus, dulcis amicus abeſt:
Patruus, & pauci, quæis Sors ſua ſufficit, & queis,
 Quæ ſatis eſt animæ ſpes erit inſtar opum.
 Divitias numero; Mens eſt mihi conſcia recti:
 Eſt DEus omnigeni fons & origo Boni;
 Eſt animus duræ tantum Virtutis amator,
 Quem neque ſors frendens, nec Libitina movet:
 Qui cernens hominum deliria devia, Mundum
 Miratur tantum deſipiſſe ſenem:
 Qui Superûm tutosque locos, & amœna vireta
 Cogitet, & vanam rideat altus humum,
 Quique peregrinis ſolidiſſima gaudia terris
 Occupet, & Muſis otia grata colat.

Sed modo pro Patriâ quis forte domoque peroret
 Tullius, aut torvâ trux gravitate Cato.
 Forſitan & rigidus minus, & mage mitis utroque
 Lælius in dubium, quæ cano, verba vocet,
 Huicque favens reliquum Sapientum vulgus, & omnis
 Copia, quos numerant Regna minora, DEûm

Ob-

Objiciet: patriis quisquamne remotus ab oris,
Expers mœstitiæ, cantica læta canet?
Est aliquid, fateor: namque & vagus optat Ulysses
Fumum de patriis posse videre focis,
Et miser ex Ponto scribebat carmina Naso
Tristia per tragicos exululata modos.
Æternam quoties Exul reminiscitur Urbem,
Flet, veluti mulier funere mœsta viri,
Vixque, quod intortô crebro ingeminaverat ore
Vix tremulans poterit scribere dextra Vale;

SEd tamen exhaustum per tot discrimina Ponti
Quæ traherent Ithacum Natus & uxor erant:
Naso procul Roma, quâ nil oriensque cadensque
Cynthius in toto clarius Orbe videt,
Ad Scythicas hyemes fuerat damnatus, amicis
Exutus, Musis, Conjuge, prole, domo;
At Cynicus Patria potuit caruisse Sinopeus,
Cum daret extorri Græcia comta locum.
Linquere sic potuit Sidonia mœnia Cadmus
Namque dabant fidos pingua Regna lares.
Toxaris, & gelida veniens Anacharsis ab arcto
Quam bene perpetuas deseruere nives,
Ut doctis hilares semper fruerentur Athenis,
Et magni caperent mente Platonis apes.
Quis neget à rudibus, si fors ferat, ire Tomitis?
Quis Longo-bardos, Massagetæve flet?
Quis nisi de pingui natus crassaque Minerva
Incola barbarici sæviat esse soli,
Et Regionis, ubi stant nulla Palatia Phœbo,
Aonidumve novem templa dicata choro:
Mars ubi continuis vigilat redivivus in armis,
Fœdaque civili sanguine bella gerit:
Fraus ubi in innocuos, cum vis externa fefellit,
Serpentes medio de phlegetonte ciet:
Livor ubi æternisque vacans Discordia rixis
In sua lethali viscera dente furit:
Quilibet innumeros Midas ubi parturit annus,
Qui jubeant cannis cedere sede chelyn:
Aurea libertas ubi ferrea vincula gestat
Et dubiè tremulo stat malè nixa genu.

DEgeneres animos arctus capit angulus, in quo
Exclusis Genitrix oscula prima dedit;
Plus ultra generosa suas mens explicat alas:
Nam latebras nidi despicit alta sui,
Et sibi vel totum Patriæ vice vendicat orbem,
Vel Patriæ in gremio ceu peregrina gemit.

B

Quæ

Quæ DEus electæ secrevit litora genti,
 Litora non ullis irrequieta malis,
 In quibus æternas Cælo plaudente choreas
 Ad citharæ Cantum cœlica turba movet:
 In quibus angelicum propinant flumina nectar,
 Et sterilis sudat roscida mella salix:
 In quibus è quovis stillant opobalsama ligno,
 Calthaque Pesthanas vincit odore rosas:
 Hæc cupit, hæc optat, terræque perosa tumultus
 Emicat, ut, caveâ quæ cohibetur, avis.

TU quoque Pannoniæ *Jacobe*, relinque Penates
 Lætus, ubi doctis Laurea nulla viret.
 Illa Palæstinæ quondam fuit æmula; sed nunc
 Laudibus antiquis vix manet umbra super:
 Exulat hinc Princeps vatium, doctæque Sorores
 Fœtibus Ingenii præmia nulla ferunt:
 Splendida non-meritos comitatur adorea; contra
 Vatibus antiquis nullus habetur honos.

QUæsierat fixam longo sibi tempore sedem
 Pallas, ubi posset ponere fessâ Caput:
 Attigit *Hungariam*: laudavit flumina Virgo,
 Flumina, quæ multo murmure grata fluunt.
 Suspicit hinc uvas, aurumque in montibus, atque:
 Divitiæ nobis hæ generantur, ait.
 Despicit in valles, pecudes ibi cernit, & inquit:
 O quantos tellus educat ista boves!
 Prata videt certè non inferiora Faliscis,
 Et segetem, ficulos quæ prope vincat agros.
 Cuncta placent, & jam fermè poscebat aratrum,
 Ut fierent urbi mœnia certa novæ.
 Aurea jamque novæ fingebat secula terræ,
 Cum leve terrificis advolat agmen equis.
 Illa citas ad se simulac equitare cohortes
 Conspicit, hostilem credidit esse gregem.
 Ergò repentè caput galeâ tegit, ægida læva
 Corripit, at dextra lancea rapta fuit.
 Sic instructa viris sese venientibus offert,
 Quos inter primus voce tonante rogat?
 Quod genus, unde domo, Pacemne huc fertis, an arma?
 Tela puellares cur rapuère manus?
 Tela Viris data sunt forti torquenda lacerto,
 Fœmineum sexum tela colusque decet!
 Dixerat. Illa habitum, mores, ephippia, vestes
 Permeat, & risum vix retinere potest.

Vox

Vox fera, barba rigens, dignus tonfore capillus,
 Labra, supercilium, lumina, colla, genæ,
 Terruerant Dominæ famulos; sed strenua contra
 Virgo stetit, vanas spernere docta minas,
 Atque ait: Hos certè setosæ hastilia barbæ
 Vervecum ex Patria profiluiffe docent:
 Hirta comæ densas imitantur vincula sylvas,
 Sylva queat multis hæc dare lustra feris.
 Triste supercilium Geticos lunatur in arcus,
 Arcus erat talis, parve Cupido, tuus.
 Quale facit multa bene fulgida pelvis arena,
 Tale minax etiam pupula fulgur habet.
 Pileus extentam late qui porrigit alam,
 Quàm citò libertas avolet alma, refert.
 Pes natat in laxa, ceu navis in æquore, pelle;
 Hæc fors Oetæi est ferrea clava Dei.
 Hæc tacitè Pallas. Sed vim tentabat agreste
 Vulgus, & infontem pellere sede Deam;
 At dedit & pœnas: vix viderat ora Medusæ,
 Factaque sunt durus plumbea Corda lapis.
 Quisquis ab istorum descendit origine, curat
 Ille bonas artes, quam sua rura minùs.
 Interea sese liquidum super æthera turpi
 Rusticitate Virùm mota Minerva levat,
 Ante tamen iussa est remanere Colonia Regno,
 Quæ gentem placidis instruat ire viis:
 Illa subit duros operis assueta labores,
 Nec grave principio non bene cessit opus.
 Nam *Debrececiacæ* tribuere cubilia Thebæ
 Grata novem Musis, & *Patacinus* ager.
Fragopolis prisca propè par surgebat Athenis,
 Stabat in hæc Clarii Regia lata Dei.
 Jam *Nova*-montanas - *Solyne* celebrata per urbes
 Entea Phœbeis ibat ad astra jugis.
 Jam tua, *Semproni*, nec non tua mœnia, *Piso*,
 Gaudebant mores dedidicisse rudes.
 Urbs quoque Romani prætendens nomina *Cassi*,
 Et, solidè doctis Patria, *Bartfa*, Viris,
 Et loca plura, vagum quondam venerata Gradivum,
 Gaudebant lituos postposuisse Lyræ.
 Ille videns sperni sensim sua Numina; gentem
 Pegasidum contra dulce manere decus,
 Nil nisi bella crepat, nil sunt, nisi Classica voces,
 Exsiliunt oculis fulmina, tela, faces.
 Inde gradu celeri tristem furibundus Avernum
 Regnaque Persephones Solibus orba subit.
 Et subit, & frangens adamantina claustra, colubris
 Cincta venenosis agmina voce vocat.

Hic

Hic vocat, hæc mundo rursus nocitura, vocantem:
Cui veniant populo dira flagella? rogant:
Gens inimica mihi, (Mavors ita turbidus infit:)
Artibus Hungariæ est perniciofa suis.
Natio non-solitis mansuescit martia curis,
Et sibi dissimilis bella valere jubet.
Ipse ego, quem totæ nuper tremuere phalanges,
Virgineo cœtu jam prope ludus ero.
Dî meliora velint! cedat prius ardua cautes,
Quam veteri cedat gloria nostra locô.
Vos modo grassanti socias conjungite vires,
Tinctaque mox multâ tabe rubebit humus,
Perfolventque graves temeraria pectora pœnas,
Doctaque mox fient grande Lycæa nihil.

PRotinus Eumenides, Bellum, Discordia, Pests,
Quicquid & adversi Regia Ditis habet,
Qua data porta ruunt, nec jam volitantia Regni
Per medios fines impedit ullus obex.
Quaque pedum ponunt vestigia, gramina marcent,
Unda trahit virus, Flora Ceresque fugit:
Arma cupitque rapitque simul, retinetque Juventus,
Cantanturque fera nonnisi bella tubâ.
Bella, nefas! mutuô Civis peragenda cruore,
Bella, quibus nullus meta Triumphus erat.
Utraque Libertas Titulo fallente nefandis
Aufibus in Patriam perfida signa dedit.
Heu mihi, quàm magnô pretiô, quot mortibus ægrè
Hæc Tituli species vana redempta fuit.
Urbes, Tempia, Scholæ, Granaria, Curia, Muri,
Oppida cum villis, horrea, rura, casæ,
Singula sacrilegæ fiunt obnoxia flammæ,
Aut sociûm armatis procubuere dolis.
Sexus uterque, suô veneranda Senecta capillo,
Infans, vir, juvenis, fœmina, virgo, puer
In partem venere mali: non ordo, nec ætas,
Nil status, officium, vel bona forma juvat.
Quisque parata sibi sensit dispendia, quisque
Debit impacti criminis esse reus.
Tunc, veluti fugiunt aquila veniente columbæ,
Ut fugit, infestum quum videt agna lupum:
Sic, magis atque magis belli crescente procella,
Diffugiunt Musæ, Pacis alumna Cohors:
Nunc huc, nunc illuc, & utrôque sine ordine currunt:
Nocte timent noctem, lux odiosa die est,
Exilium tandem sibi delegere perenne,
Et simul ingratum deseruere solum.

Can.

Candida jam rursus florebant otia Regno
 Jazygis, Austriaci munus opusque Ducis.
 Perfidiae meritis cum posset plectere *Cæsar*
 Ense, rota, verubus, funibus, igne, scelus,
 Maluit invictus superatis parcere victor,
 Sic statuit famæ bina trophæa suæ:
 Mavors exuta sero feritate quiêrat
 Inferaque ad stygias plebs remearat aquas:
 Paxque Polum, flentes sat jam frustrata Colonos,
 Liquit, & in medio Pannonis Orbe stetit.
 Ah! utinam simul & rebus Concordia lapsis
 Et Pallas folio cœlite missa foret.
 Gloria Pannoniæ nunc surgeret æmula Regnis,
 Quæ manet eximius Martis & Artis honos;
 Sed nondum Superi majore ex parte beatis
 Gentibus æquales Jazygas esse volunt:
 Suspicio, ambitio, levitas, discordia, livor,
 Rusticitas, auri non satianda fames
 Peccat adhuc passim, passim furit Hungara tellus,
 Indigenasque ferox devorat ipsa suos.
 Scilicet his non est modo fabula fabula terris,
 Quâ sobolem proprio commolit ore pater.
 Si vacat, in veterum monumenta recede dierum,
 Quàm resonant tragicis Amphitheatra modis!
 Hic Marii Syllæque vigent: Capitolia Gracchus
 Hic tenet, hic tentat trux Catilina nefas:
 Hic Licinî sanctis matura pericula Musis
 Doctorumque choro vis inimica struit.
 Quid moror antiquos, præsens redeamus ad ævum,
 Quot mihi de populo pectora sana dabis,
 Quæ faveant doctis, quæ sit Sapiëntia curæ,
 Quæque bonos factis consiliisque juvent?

UT taceam reliquos, cur Te, *Jacobe*, peregram
 Mefnitii Cœtus sivit inire viam?
 Num prece, num pretio studuit remanere negantem
 Vincere, vel sparsis impediisse moris?
 Tarfane, cum Patrios fortuna sinistra penates
 Abstulit, & peregram quærere jussit humum,
 Objicere hostili pro Te fuit ausa Catervæ
 Cornua, teque suâ juvit & auxit ope?
 An tibi, quæ tutæ placuit Novasolyma sedi
 Hospitii pulso libera jura dedit?
 Aut Tibi, cum traheres propriis ibi sumtibus annos,
 Præbuit, afflictis officiosa, stipem?
 Vix puto: nam felix quondam tot cinctus amicis,
 Infelix idem solus & unus eras.

C

Nempe

Nempe, quod Exilium Tibi *Cæsaris* ira pararit,
 Seque Tibi duros extimuisse Deos,
 Natio prætexit simplex; sed *Cæsare* totus
 Nil mage mansuetum, quâ patet, orbis habet.
 Ille repugnantes saltem sua fulmina in hostes
 Vibrat, & in fontes jure severus agit;
 Protegit insontes, fidus amat, ornat egenos,
 Erigit oppressos, ingenuosque fovet.
 Vos, quia *Jacobus* peregrina ad litora navem
 Appulit, o Cives, vos mala culpa premit:
 Vos illum pepulisse reor, quia nemo ruentis
 In pejus parvâ parte levavit onus,
 Nullane templa suis fuerant tunc trunca ministris?
 Anne *Lycæa* suos cuncta habuere Duces?
 Dicite: Cur igitur vestri, sacrata Camœnis
 Atria *Jacobi*, præteriêre pedes?
 Ille graves Pindi poterat fulcire ruinas
 Solus, & Aonio reddere sceptrâ Deo.
 Quicquid sacra docent sanctorum carmina vatum,
 Quicquid & exhibuit prisca Caterva Sophum:
 Quicquid in exactis miratur fama Poëtis:
 Quicquid & Annales Historiæque legunt,
 Uuus hic in mentis posuit penetralibus: Hellas
 His vetus atque recens, totaque Roma latet.
 Hæc tamen externis jam stella micabit in oris,
 Stella tuô nuper, Patria, visa Polô:
 Hæc nunc Sarmaticas longè populabitur umbras;
 At tu mox quæres lumina lucis inops.
 Pulcra capit Phœbus nunc incrementa Boruffus,
 At tuus heu! animam, ceu moriturus agit.
 Nimirum, sic fata volunt: Regionibus Orbis
 Cum libet, illa bonos dant rapiuntque viros:
 Quisque suos patimur fatorum crimine manes,
 Hic alibi latè crescit, at iste domi.

A Dde catenatis, *Icabode*, Trophæa Triumphis!
 Siste fugas exul, jam tibi meta datur.
 Naufragiô cessante tuæ tabulata phaseli
 Portus habet, Ponti subjice ferta Deo.
 Patria prima fuit sævas imitata novercas;
 Altera per Pruffos optima mater erit.
 Quicquid erit, Patriam, quam nec fortuna, nec ævi
 Excutiant vires, pectore conde tuô,
 Qualis ad infestos vatem est comitata leones,
 Qualis Anaxagoræ Diogenique fuit,
 Incipe Prutheno sic utilis esse Thoruno,
 Ut Patriæ fueras utilis ante tuæ.

Ille

Ille Venusini felix sectator Horati
Sit maneatque sui gloria prima soli.
Te modò fata vocant : tu nunc eris alter ab illo,
Atque eris in Scythicis fama secunda jugis.
Te vocat argutò modulamine Vistula, ripas
Illius ut caneres & leve murmur aquæ.
Illa jubet, cape iussa libens, Dominamque potentem
Promptus Apollineis effer ad astra modis.
Ecce ! favet Titan, abit & fugitiva Sororum
Ex Patriæ turbis in tua cœpta manus.
Tu pulsas aliud tutum magis addis asylum,
Otia namq̄ne tuo pectore tuta colent.
Est illis, quæ tecta queat monstrare, disertis
Virgula Mercurii, nomine digna Jovis ;
Quicquid ab hac tactum fuerit, mox transit in aurum,
Hoc tamen est, animos ut modereris, opus.
Hanc retine, dabiturque Tibi reperire fodinas,
Ex quæis cœlestes effodiantur opes.
Tunc Bona felicitis miseranda fatebere Cræsi
Et potes Exilio lætior esse tuo.

S. D. G.

Fecit

D. Hockh, N.



Ille vultus est...
Te modo...
Te vultus...
Ille vultus...
Ecce...
Tu...
Et...
Quod...
Hinc...
Tunc...
Et...

S. D. G.

Tab.
D. Hochb. N.



Bl. 5

Ordnungsbuch

Dem... ..



163




Ung. VI. 5

= [Occasionalia Vol. 8.

= Personalia Hungarorum]

W. 17



Ad

Jacobum Icabodum, quondam in H.
V. D. M. mox Exulem, denique vocatum Pr. E.
O. G. Th. in B. &c. postquam is de re metalleuti-
ca vet: Gr: Commentarium edidisset, & de exiliis
& receptaculis Musarum pro auspiciis
disserturus esset.

L E G I A.

Alma Parens certe rerum Natura, beatis,
Si sapuisse velint, omnibus esse dedit.
Cur igitur tantis elementa laceffimus ausis?
Cur aer adeo, flamma, fretumque gemunt?
Per centum casus, per mille pericula, Ditis
intrusas corde tremente domos,
Oh facinus! fodiuntur viscera magnæ
inhumani dura ligonis ope,
c, concussa tot ictibus, alvi
aspergat, ceu voluere, sui.
est aurum, fulvâ nisi limus arenâ,
od habet pretium, nostra libido facit.
abjectos sic gens fitit improba census,
t hinc miseris una petenda Salus.
imo curas, de fronte senectam
os auri fulgida massa fugat.
voto Flacci pereatis, avari,
ca sunt nummum millia multa, Senes.
ffis madidique Infantia nasi,
nil vobis dentibus ora nocent:
ster gingivâ panis inermi:
ant vestros lintea vincla pedes:
dio caligent lumina noctem:
vestro vertice rara fluat:
trepidet, malefidaque tibia fallat
& vultum ruga senilis aret.
storum nummi medicina malorum
vos salvos incolumesque dabunt.
vegetam reddunt ex asse Juventam,
ero Ætæ filia docta suo,

A

Ut

